IOSEPHI CASTALIONIS ORATIO

Habita triceſimo die depoſitionis

ORINTHIÆ COLVMNÆ,
in Baſilica Sanctorum Apoſtolorum, pridie
Kal. Septemb. CIↃ IↃ XCIV.



VITTORIO EMANUELE
BIBLIOTECA IN ROMA

PERMISSV SVPERIORVM.

ROMAE, Apud Aloyſium Zannettum.
M. D. XCIV.

SANCTISSIMO AC BEATISSIMO CLEMENTI OCTAVO PONT. MAX.

Ioſephus Caſtalio Salutem.

SANCTORVM Apoſtolorum Sodalitas Orinthiam Columnam, e Corpore ſuo feminam vndecumq. ornatiſsimam, atque optime de ſe meritam, & viuam maximi ſemper fecit, & mortuam officijs amplisſimis proſequendam decreuit. In ijs fuit, vt oratio haberetur. Datum eſt mihi negotium. Venerabilem matronam trigeſimo depoſitionis die in celeberrimo Antiſtitum, Procerum, & Sodalium conſeſſu, ſine vllo fuco, pigmentis, & coloribus, laudaui. Orationem horridulam quidem fateor, ſed non valde a moribus Orinthiæ abhorrentem, quæ neque ceruſſa, neque purpuriſſo faciem illineret, nec capillum inficeret. Multa ſunt e certiſsimis auctoribus collecta, quæ quoniam hominum generi vſui eſſe poſſunt, viſum eſt Sodalibus edi ea nõ alienũ eſſe. Tot enim ac tanta

ſunt vitæ, morumque Orinthiæ lumina, ut non vno in loco, atque auditorio concluſa contineri, ſed per totum terrarum orbem diffundi debeant. Vtinam ea ſcriptis meis uis eſſet, ut quæ cum Chriſto in cælo uiuit, in hominũ quoque ore ſit uictura, quod Blæſillæ Beatus Hieronymus pollicitus eſt, & præſtat. Cum autem quæreretur, cui potiſſimum Oratio addicenda eſſet, Iulius Ruuereus Sodalitatis noſtræ Præfectus, uir cum maiorum ſuorum ſplendore clariſſimus, tum ſumma uirtute præditus auctor fuit, ut tibi, ad quem tanta noſtrorum temporum felicitas pertinet, dedicaretur. Qua in re uiri iudicium, & erga ſanctitatem tuam deuotionem mirum in modum probaui. Huc accedit, quod in Sodalitatem noſtram, & per eam in pauperes, à benignitate tua maiora in dies adiumenta proficiſcuntur. Hoc igitur quidquid eſt libelli tibi multis nominibus debitũ ad Sanctiſſimos Pedes tuos defero. Eius ſi lectione interdum delectaberis, & DEO maximas ages gratias, & tibi gratulaberis, quod his temporibus primariæ feminæ Pontificis Optimi mores & diſciplinam æmulatæ certamen inter ſe humilitatis, innocentiæ, & pietatis inierint, coronamque ex ijs una iam tulerit. DEVM precibus inſtantiſſime rogo, ut te quam diutiſsime Eccleſiæ ſuæ incolumem ſeruet. Romæ. pridie Idus Sept. MDXCIV.

IOSEPHI
CASTALIONIS
ORATIO

HABITA TRICESIMO DIE DEPOSITIONIS

ORINTHIÆ COLVMNÆ in Baſilica Sanctorum Apoſtolorum, prid. Kal. Sept. CIƆ IƆ XCIV.

GRATIAM, Sodales, Orinthiæ Columnæ benemerenti retuliſſe non vulgarem videmini, quod mortuæ funus in Exquilias vſque noctu proſecuti eſtis, quod monumentum eius beneficentię ponẽdum cenſuiſtis, quod inferias ſummo ſtudio, ac pietate perſoluiſtis; quod denique laudationem per me haberi voluiſtis. Si quid eſt præterea officij, quod ab ijs, qui beneficium acceperunt, proficiſci debeat, nullo vmquam tempore à vobis prætermittetur. Vtinam tantum in me ingenij eſſet, vt mandatum munus obire pro dignitate poſſem. Conſtituerem profecto temperantiæ, & pietatis exemplum, nõ modo ijs, qui, quæve nunc viuunt, ſed vniuerſæ poſteritati imitandum. Conabor quidem certe hoc loco, & Matronæ lectiſſimæ laudes attingere, & nos ipſos ad tãtam virtutem impellere. Neminem puto expectare dum Orinthiæ Patriã, & familiã explicẽ. Quæ enim tam barbara, & tam lõge à nobis diſsita eſt natio, quæ Vrbem Romam, quæ vetuſtiſsimã Columnenſium Procerum gentem non plane nouerit? Mihi quidem ex ea viros belli, paciſque artibus præſtantiſsimos, Duces, Antiſtites, Cardinales, ſummos Pontifices,

ſeminas optimas, fortiſsimaſque editas recenſere non eſt conſilium. Dies enim me in eam orationem ingreſſum deficeret, & minore negotio ſtellarum numerum aſſequerer. Illud non diſsimulabo, Orinthiam, ex hac gente ortam, ab adoleſcentia operam nauaſſe, vt maiorum ſplendori reſponderet, & in tanta luce ipſa eſſet Illuſtris. Siquidem maxima honeſtatis, & gloriæ adipiſcendæ neceſsitas ijs impoſita eſt, quorum maiores honeſti, clarique extiterunt. Non enim, ſi humilium, abiectarumque perſonarum filijs per inertiam, & ignauiam ætatem degere minus ignominioſum eſt, ampliſsimorum hominum liberos ceſſare, & turpiter latere decet? Tota ſecundum DEVM in hoc erat, huc omnes cogitationes ſuas referebat, vt familiæ dignitatem innocentia, fide, & manſuetudine ornaret ſua. In eam vere dici illud poteſt: Sapiens Mulier ædificauit domum ſuam, ambulans recto itinere, & timens Dominum. Nam prima fere pubertate in matrimonium cum Pompeio Columna ſingularis virtutis viro collocata, ita ſemper ſe geſsit, vt nihil abſolutius, perfectiuſque fieri poſſe videretur. Nam coniugem, quocum per multos annos coniunctiſsime vixit, præſentem, abſentem, vnice dilexit. Prudentia, probitate, iuſtitia, religione ſupra quam dici poteſt, enituit. Filios ſumma caritate complexa diligentiſſime educauit: familiares liberaliter, ſubditos clementer tractauit. In omnes æquabilis fuit. Non potentia inſolentem, non opulentia ſuperbam fecerat. Quin ea erat facilitate, vt ne intempeſtiue quidem adeuntibus, aut impudenter rogantibus vel leuiter ſucceñſeret: ac, ſi quando ſeueritas adhibenda eſſet, id ſine iracundia, & contumelia præſtabat. Opes neque per luxum vnquam prodegit, neque per auaritiam congeſſit. Calamitoſos ſibi ſuſtentandos, captiuos redimendos, inlocabiles per inopiam Puellas dotandas putabat: quæ omnia egregie ſemper impleuit. Tenuiores locupletauit: optimo cuique vt ad altiorem gradum aſcenderet adiumento fuit: ſacras ædes, ſacella inſtaura-

ſtaurauit, ornauit, donis auxit, ſacerdotes aluit. Non nullos eſſe ſuſpicor, qui multa extollendæ rei gratia confingi a me exiſtiment. Quid; ſi hæc ipſa, quamquam magna ſunt, & admirabilia, præſtantiorũ tamen virtutum lumine obſcuriora reddi cognouerint? Nihil fuit Orinthiæ DEI metu, & religione antiquius. Venerabiles & maxime religioſos viros obſeruabat, in eorum ſermonibus acquieſcebat. Erat in Latio e Cappucinorum collegio vir ſanctitate morum, & vitæ auſteritate inſignis Benedictus Cremonẽſis: ei ſe totam erudiendam, & inſtituendam Orinthia tradidit. Is prouinciam nactus qualem numquam ſperaſſet, optauerat quidem certe, ornandam ſibi quam maxime putauit. Itaque breui effecit, vt IESV CHRISTI amore illo ſingulari penitus exæſtuaret, eius imperata intrepide faceret, abiecta in domo DEI ſui eſſe, quam toti terrarum orbi imperare mallet, ſenſus omnes ſuos abnegaret, ſe ipſam denique deuoueret. Nihil tam arduum, & difficile fuit, quod non aggrederetur, nihil tam humile, & ſordidum, ad quod ſe DEI cauſa non demitteret. Coniugi è vita excedenti neque pias lacrimas, neque ſuffragia quæcumque excogitari poſſunt, negauit. Eius memoriam pie, & caſte, quamdiu vixit, perpetua viduitate coluit. Fucati medicamenta candoris, & ruboris omnia lacrimis diluit, ornatum omnem abiecit ad illa B. Hieronymi verba: Tanto fœdior, quanto pulchrior. quid faciat in facie Chriſtiana purpuriſſus, & ceruſſa? alterum ruborem genarum, labiorumque mentitur, alterum candorem oris, & colli, ignis iuuenum, fomenta libidinum, impudicæ mentis indicia. Ornatus iſte non Domini eſt: velamen iſtud Antichriſti eſt. Qua fiducia erigit ad cælum vultus, quos Conditor non agnoſcit. Fruſtra oſtenditur adoleſcentia, & ætas puellaris aſſeritur. Vidua, quæ marito placere, deſijt, & iuxta Apoſtolum, vere vidua eſt, nihil habet neceſſarium, niſi perſeuerare. Interitum viri, mors Camilli filij, iuuenis ingenij, doctrinæ, & pietatis gloria florentiſſimi, ſecuta eſt. Hoc nullum matri vulnus infligi grauius

uius

uius potuit, quod tamen tanta animi firmitudine tulit, vt neq. luctui, neque dolori ſe dederit. Sed in Religioſiſsimum Turris Speculi monaſteriũ ingreſſa duriorẽ vitam inſtituit, quo maturius expeditiuſq. in Cælum ad coniugem, & filiũ euolaret. Non enim in terris honores & gloriam quærendam eſſe iudicabat, vnde ſerius citius abeundum eſt omnibus, vbi quamdiu ſumus corporis doloribus, animi ægritudinibus acerbiſsime afficimur, morbis, ſenectute, rebus aduerſis ſic affligimur, vt nulla hic propria, & diuturna cuiquam voluptas eſſe videatur. Hoc dum propoſitum maxime vrgeret, dum conſtantiſsime ſanctimonialium diſciplinam retineret, proculque a ſæculi curis abeſſet, ac diuino tantum cultui vacaret, inualetudine correpta eſt eius generis, quæ neque obitum propinquum, quo nihil illi optabilius accidere potuiſſet, portenderet, neque curationem prope admitteret. Cumque maximis laboraret doloribus, nihil tamen grauius ferebat, quam ademptam pæne ſibi monaſtici muneris obeundi facultatem. Quare medici admodum ægram, inuitam, & diu reluctantem, ex tecto, & vmbra in apertum, & ſolem ſua ſententia retraxerunt. quo factum eſt, vt non multo poſt melius ei fuerit, quod illa interpretabatur alio curas euocari ſuas, precibus ſcilicet, & contemplationi actionem adiungendam eſſe, non vni ſibi viuendum, ſed omnibus, qui aut re, aut conſilio egerent ſuo. Itaque in oppidis ſuis per quam familiariter Chriſtianæ doctrinæ elementa mulierculis tradebat, Paſsionis Domini meditandæ puncta proponebat. Eaſdem ad Pænitentiæ atque Euchariſtiæ Sacramenta quam ſæpiſſime iteranda, hortatu, & exemplo compellebat. Opem implorantibus non deerat, laborantibus vltro ſubueniebat, ſcrutabatur, & quærebat, numquis rei familiaris anguſtia premeretur, vt eius inopiam copia leuaret ſua. Frumentum colonis, & oppidanis ſuis ad ſementem faciendam, familiamque alendam dabat ea lege, vt poſt trituram, quanti minimi eſſet, deductis præterea de ſumma duobus in ſingulas

gulas

gulas menſuras aureis pretium perſoluerent, ſi eſſet commodum,& ſi abundarent: nihil vmquam a quoquam acerbe exegit, debita pleriſque dimiſit. Illud ſilentio inuoluendum non eſt, quod omnium ætatum homines, opinor, ſuſpicient. Annum ſterilitate, rerum omnium penuria, optimi ac prouidentiſſimi Principis Sixti Quinti morte inſignem meminiſtis, ad eius vos mentionem exhorruiſſe video. neque iniuria. Non enim annonæ tantum caritas in Vrbe, atque adeo in vniuerſa Italia, quantam numquam meminimus, fuit, ſed fames, qua nihil miſerius, immaniter graſſata eſt. Quidquid tritici farris, hordei, ac leguminis haberet, beſſe minoris, quam quanti eſſet, oppidorum, & vicorum ſuorum hominibus eorum fidem ſecuta diuiſit. Quatuor præterea aureorum millia ijſdem ſine vlla mercede mutuo dedit, quibus in tanta miſeria vterētur. O benignitatem admirandam, o fenus diuino oraculo commendatum. Et ſunt, pro dolor, qui non ſolum reddi ſibi creditum, cum quanti plurimi eſt, poſtulant, ac ſuos quæſtui habent, ſed etiam plebem Dei quantum in ſe eſt ſuppreſſo aut exportato frumento fame enectam, & ſuffocatam velint. In Vrbe vero famoſas ad caſtimoniam pudicitiamque reuocabat, pœnitentes recipiendas curabat, ſedulo confirmabat, denique efficiebat, vt aut in Monaſterium confugerent, aut quam caſtiſſime nuberent. Ad Domum Piam frequenter accedens, quæ ibi aſſeruarentur, leniſſimis verbis conſolabatur, pleraſque monebat, ne Deum læderent, ne ſibi ipſis durius conſulerent, ne ve moroſæ, difficiles, & contumaces eſſent, multas ibi feminas inopes alebat. multis item virginibus in S. Catherinæ Monaſterio, cui Funarij cognomen eſt, ſumptus vltro ſumminiſtrabat. Ad S. Iacobi Incurabilium, & S. Spiritus Xenodochia, frequenter ſe conferens, mulierculis ægrotantibus ipſamet miniſtrabat, quæ opus eſſent, luculenter præbebat. Non loci facies, non decumbentium fetor, non contagionis metus matronam ſummo genere natam, opibus copijſque affluentem,

 vm-

vmquam ſummouit. Vlcera, ſanies, pus, & fediſſima morborum genera, quæ ceteris nauſeam facerent, hanc pelliciebant, quæ ſe Chriſto operam dare non ignoraret, cum tale quid obiret. O nos delicatos qui mendicos, ſitu, ſqualore, ac pædore obſitos ſtipem rogitantes, auerſamur. Aeris alieni nomine quicumque in carcere haberentur, quod ſoluendo non eſſent, ſua pecunia liberandos curabat. In vinculis, & cuſtodia criminibus detentos, ſtudio, gratia, facultatibus adiuuabat. Nullum erat pietatis, & miſericordiæ genus, quod alacri animo non complecteretur. Neminem eſſe puto, qui Sodalitatis noſtræ inſtituta ignoret. Duodecim e noſtris ſpectatæ fidei, & probitatis viri, Apoſtolorum nominibus cooptatis, ad Vrbis regiones circumeundas, & perluſtrandas deliguntur. Iis duo Sanctorum Pauli, & Barnabæ nomen ſortiti aucto regionum numero adiunguntur. Quæ cui ſorte regio obtigit, pie & caſte aditur. Quidquid in ea eſt calamitatis, diligenter exploratur. Egentibus, quorum numerus fere ſupra fidem, menſtruæ penſiones in capita tribuuntur. Nobilibus familijs, quæ temporum iniuria ad inopiam ſunt delapſæ, quæque pudore deterrentur, quominus benigne ſibi fieri rogent, clam ſuggeritur, vnde viuant. Aegrotantibus extra ordinem ſuppetiæ ſummittuntur. Omnibus precipue animarum ſalus commendatur, peciturque ſummopere, vt primo quoque tempore peccatorum per confeſsionem abolitio fiat. Quinque aureorum millia, & eo amplius quotannis hunc in vſum a noſtris erogantur. Quæ pecuniæ ſumma à Pontificis Maximi, Cardinalium, & piorum hominum benignitate proficiſcitur. Hoc cum Orinthia in primis factum probaret, & Marci Antonij Columnæ ſui, Cardinalis ſapientiſsimi, auctoritate moueretur, qui medicinarum officinam multis ab hinc annis ad ædes ſuas aperuit, quæ ijs tantum, quibus Sodalitas noſtra iuſsiſſet, ideſt vniuerſæ paupertati, pateret, Matronas rogare aliquandiu non deſtitit, vt & ipſæ ad opus eiuſmodi accingerentur.

Opes

Opes ſuas, operam, diligentiam; fidem, aſsiduitatem, pollicebatur. Sed, quando minus ex ſententia, quod cupiebat, euenire animaduertit, conſiliũ abiecit in vita, nouemque aureorum millia noſtræ Sodalitati nomine, re ipſa publicæ mendicitati legauit. Tantæ illi curæ pauperes ex Domini præcepto fuerunt. Domum refugij, quo perfugium eſſet feminis ad meliorem frugem redeuntibus, & Virginibus, quæ ne ad impudicitiam prolaberentur, periculum eſſet, quæq. parentum, & cognatorum præſidio deſtituerentur, conſtitutam quam primum cupiebat. Ad eam rem ſeptingentos aureos annuos dabat. Legerat enim apud Sãctum Hieronymum; Redime virgines, quas in Saluatoris cubiculum inducas, ſuſcipe Viduas quas inter Virginum lilia, & martyrum roſas, quaſi quaſdam violas miſceas: pro corona ſpinea in qua Chriſtus mundi delicta portauit, talia ſerta compone. Eodem ſtudio tenebãtur aliquot Matronæ nobiles, quę, IESV bone, quam inter ſe vnanimiter ardenterque conſpirauerant. Clementis Octaui Pontificis Maximi, & Parentis optimi liberalitas accedebat, qui Acciaioli ædes in Quirinali ſua pecunia emendas curauerat. quid in mora fuerit, quid rem tantam diſtinuerit, neſcio. Orinthia in febrem ſubito incidit, teſtamentum condidit, Sodalitati noſtræ, (vt dixi) item familiaribus ſuis, & piis aliquot locis, in primiſque maritandis tenuioribus puellis, quod haberet in nominibus, legauit. Opulentam fuiſſe Orinthiam conſtat, nihil tamen, niſi perpuſillum, ex ampliſſimis vectigalibus in victum, & cultum ſuum inſumebat, reliqua omnia pie, & præclare collocabat. Zagaroli monaſterium Clericorum Sancti Pauli Decollati Eccleſiaſticæ diſciplinæ obſeruantiſſimorum hominum maximo ſumptu ædificauit, rebus omnibus inſtruxit, redditibus auxit. In Templo Sanctæ Mariæ Maioris ſacellum dotauit, patri, & patruo clariſsimis viris ſepulchrum, quo & ipſa inlata eſt, conſtruxit, maiores ſuos imitata, qui eius templi canonicorum Collegio prædia, & redditus ingentes ſunt largiti. Sacrarijs inſtaurandis, in-

ſtrumento & ſacris veſtibus comparandis numquam defuit. Vniones pretioſiſsimos, adoleſcentiæ delicias, ſacratiſſimo Crucis ligno apud templum I E S V dono dedit, eo conſilio, vt, quibus Dominum læſiſſet ornamentis, ijſdem & placaret. Reliquas margaritas, colli, capitiſq. ornamenta, vendidit, pecuniamq. inde redactam ſupra duo aureorum millia pauperibus diſtribuit, vt vnam lõge pretioſiorem in cælo redimeret margaritam. Omnẽ monilium, atque gemmarum, ſericarumq. veſtium ornatum ad indigentium ſubſidia tranſtulit. Argentum è menſa penitus ſummotum in eoſdem vſus vertit. Fictilia tantum & vitrea vaſa, & vilem ſupellectilem ſemper adhibuit, Lazari mendici beatitudinem, & diuitis illius ſplendide epulantis æternum ſupplicium meditans. Apud menſarios nihil vmquam pecunię eſſe voluit, pręter eam, quam multis ante annis ex vectigalibus in opus piũ collectã noſtræ Sodalitati legauit, in pauperum ventre melius quam in arca pecuniam ſeruari dictitans. Vtebatur quidem vehiculo, ſed ex Medicorum præſcripto propter virium imbecillitatem, quo tamen nihil illi moleſtius fuit. Nam pauperibus impettiendum eſſe cenſebat, quod alendis equis impenderetur. Corporis nutritione, nõ gulæ indulgebat, inedia, & fame cibum condiens. Sic enim per hebdomadam refectionẽ inſtituerat. Dominica, & quinta feria ſemel tantum die carnibus veſcebatur. Duos dies ieiunio, reliquos tres abſtinentiæ deſtinauerat. Cilicio hirto, & aſpero veſtis genere vtebatur. Humili lectulo decumbebat. Ancillas in ſororum loco ſemper dilexit, earum partes plerumq. domi ſubibat. Vaſa præcipue humilitatis cauſa, vel cum ijs vna tergebat. In omnes, quorum quarumq. opera domeſtice vteretur, fratres, ſororeſq. appellãs, iuſte, clementer, & munifice ſemper ſe geſſit. Quam nos in hoc hominum genus, & re, & verbis iniurij, & contumelioſi ſumus. Mancipiorum loco habentur, ſerui vocantur, qui liberi ſunt, qui ciues, & fratres in Chriſto ſunt. Vtinam, vt quiſ-

que

que meritus eſſet, ſeruitij præmium ferret, neque deteriore condicione liberi homines eſſent, quam mancipia vmquam fuerint. Si quis honoris gratia, vt oportuit, Illuſtriſſimam ſalutaſſet, ſibi Orinthiæ nomen eſſe, illico reſpondebat. Proinde inanibus appellationibus,& titulis abſtinendum, monebat. Contemni,ac deſpici ab omnibus cupiebat. In Eccleſia dedita opera ad aquæ luſtralis labrum aduoluta orabat, vt à prætereuntibus impelli, collidi, & conculcari vulgo poſſet, iniuriamque libenti animo acciperet, tantum aberat, vt multitudinem ſummotam vmquam voluerit. Nos vero ne molli quidem brachio tangi æquo animo ferre poſſumus. Totos dies cum per occupationes liceret, Deo ſupplicabat,numquam tribus horis minus orauit. Noctu paſſionem Domini recolens, ſe quam grauiſſime cedebat. Quotidie fere ſacroſanctum Chriſti corpus ſumebat,illudq. aſsidue iterabat: *In manus tuas Domine commendo ſpiritum meũ.* Ac ſiue in tẽplo,ſiue domi oraret,tanta lacrimarum vis ex oculis effluebat,vt caput ei valde infeſtaretur. Nam flere ſe dicebat ingratitudinem ſuam, ſic enim appellabat, cum ſe erga Deum ingratam accuſaret,quod non ſolum nullam reddi a ſe gratiam,ſed nec haberi Diuinæ Maieſtati tot tãtiſq. beneficiis acceptis, ſatis dignam videret. Cumq. alicuius parum ſecunda pudicitiæ fama ad aures eius delata eſſet, Deo ſe acceptum referre profitebatur, quod ne leuem quidem libidinis tentationem vmquam experta eſſet. Eoque nomine plurimum ſe Chriſto debere, ingratam eſſe tamen quæ nihil viciſsim præſtaret. Deſidiam, ſocordiamq. ſuam multis lacrimis deteſtabatur. Tanti vero fuit pudoris, vt ne cum caſtiſsimis quidẽ ſacerdotibus vmquam cænauerit, quod de ſancta Paula S. Hieronymus ſcriptum reliquit. Venerabili & Sãctæ conuerſationis Patri Coſmo Ticinenſi, quem a cõfeſsionibus elegerat,dicta,facta, cogitata, viſa quæcũq. deferebat. Quod ille faciendũ curauerat, ne quid diabolicæ fraudis ſimplici mulieri imponeretur. Is Orinthiã dicto ſem,

per audientem fuiſſe, nihilq. vmquã detrectaſſe prædicat, ſua potius factũ culpa, quod minus ipſe præcepiſſet, ſi quid illa fortaſſe omiſerit, quid pie facere poſſet. Cũ de animæ ſuæ ſalute ſollicita quæreret, quonã poſt obitum eundũ ſibi eſſet, ſperare ſe dicebat in infernum non deſcenſuram, quod ibi Dei perduelles, & hoſtes ſint, ſibi autem cum Dei hoſtibus nihil eſſe contendebat. Hoc anno in Templo Sanctæ Mariæ ſuper Mineruã a Synaxi & ſacratiſsimo Altaris conuiuio in præcordijs citari ſe quam leniſſime ſenſit, ſtatimque ſenſibus linqui, & collabi ſibi viſa eſt, quod appetentis, & imminentis exceſſus prædictio fuit. Illud quoque ad dormitionis eius præſagium pertinet. Marcio filio Zagaroli Duce in Hiſpaniam profecto ad Ducis Sinueſſæ vxorem conuerſa, quæ Marcij vxorem de viri diſceſſu mæſtam conſolaretur, In matrem, inquit, hoc officij genere vtendum potius. Nam Nurus mea, quæ iunior ſit, coniugem ſuum plane videbit. Ego filium fortaſſe non item, quæ per ætatem diu viuere non poſſum. Proximo igitur ſuperiore Menſe grauiſsimo oppreſſa morbo, tanta patientia cruciatus acerbiſsimos tulit, vt medicos rogaret, ne ea remedia, quæ maximum facerent dolorem, non adhiberent. Candenti ferro occipitium fodiendum imperterrita ſuppoſuit. Suras, quo morbi vis in capite graſſantis reuelleretur admotis cantharidum venenis exulcerandas dedit. Ardentibus quibuſdam in ore vitijs ſulphuris oleum ipſo prope igne ardentius adhibitum crebrius indi volebat. Summa enim ſe animi uoluptate perfundi per ſummos corporis cruciatus ſentiebat. Montis fortini, & Oleuani vtriuſque ſexus homines ad Orinthiæ ægrotantis nuntium conſternati vicatim in Vrbem confluxerunt, ad templa, & Sanctorum reliquias aduoluti pro Dominæ, & Parentis incomparabilis ſalute vota ſuſceperunt. Monachi, Sacerdotes, Moniales, Virgines, Viduæ, Orphani, Pauperes Romæ ſolliciti, ac flentes in Orinthiæ valetudine, Deo ſe ipſos commendabant. Sed nec ipſa in ipſo ſęuientium febrium ardore

dore caritatis opera intermiſit. Compluribus, vt conſueuerat, locis, eleemoſynas tranſmiſit, prǽſertimque incurabilibus ſuis, quibus per infirmitatem adeſſe non poſſet. Famulas ægrotanti ſibi aſſiduę inſeruientes quam mitiſſime allocuta eſſe dicitur. Veſtra, inquit, cauſa ſorores doleo, diu grauiſſimo me morbo vexari. Video labores, & vigilias pro me veſtras. Vos oro, vt, quod ſupereſt tędij, perferatis: iam non ero cuiquam grauis: ſimulque horam mortis prędixit. Multum de vita æterna, deque Beatorum gloria diſſerens extremam vnctionem flagitauit. Sacerdotes, qui decedentem precibus proſequebantur, rogabat vt ad lectulum propius accederent, quo facilius precantes exaudire, & viciſſim reſpondere poſſet. Caligantibus iam oculis Chriſtum Cruci ſuffixum quo iam minus perſpiceret, eo acrius cogitatione, intuebatur, crebrius exoſculabatur, vehementius inuocabat. Itaque ſemper Deum laudans, Deo ſuppliciter ſe commendans, placidiſsime expirauit. O te felicem, o te beatam Orinthia, quæ tot, tantiſq. virtutibus ornata in æterna tabernacula conſcendiſti. Tu nunc operum, & laborum tuorum fructus fers vberrimos. Tu theſauros longe pretioſiſſimos in Cælo reperiſti. Tu tibi pietate & temperantia viam ad vitam æternam patefeciſti. Nos vtinam tui ſimiles ſimus. Vtinam in nos aliquando, æque ac de te vere nunc dicitur, occinatur, Beati mortui qui in Domino moriuntur. Gratulor vobis, caſtiſsimę, ac pientiſſimę Matronę, quas eſſe complures intelligo ijſdem virtutibus prędítas. Gratulor ſęculo noſtro, cui Deus in ſexu fragili tantum verę virtutis indulſit, vt non valde Marcellam, Paulam, Euſtochium, Paulinam, Blæſillam, & Fabiolam deſideremus. Vos oro atque obſecro, Sodales, vt feruentius in dies in hæc ipſa pietatis opera incumbatis, per virtutes homine Chriſtiano dignas ad veram gloriam aſpiretis, ne infirmioribus vaſis ceſſiſſe vnquam videamini. Veniat in mentem ardor Orinthię in Chriſtum, pallor ex ieiunijs, aſsiduitas in orando,

eleemo-

eleemoſynæ in pauperes, obſequium in ſeruos Dei, humilitas veſtium, & cordis, contemptus ſui, atque in omnibus ſermo modeſtus, & patientia. Eius memoriam, Columnenſiumque gentem, Sodalitatis noſtræ columen, omni officio, & pietate proſequamini.

FINIS.

EGo Lælius Peregrinus ſacræ Theologiæ Doctor, cenſeo hac funebri Diſertiſsimi vi, Ioſephi Caſtalionis oratione nihil contineri, quod eius impreſsionem editionemq. retardare poſſit. Dat. Romæ, Sept. Id. Nouembris. 1594.

Lælius Peregrinus manu propria.

944894
VITTORIO MANUELE BIBLIOTECA IN ROMA